



**Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quâ tractatur de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, ac Sacrificio  
Missæ, ...

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1667**

Sectio IX. De Præcepto Ecclesiastico Communionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73377)

secratione, occidetur ab Hæreticis effusis Sanguinem, nisi cum laicus bibat. Fortè etiam, si Sanguis jam esset effusus in terram, & laicus posset lumere absque nausea, nec vellet id facere Sacerdos, qui consecravit, quamvis Sotus & alii id negent.

Sotus.

114. Atque ex his sit finis hujus Sectionis: nam ad illud, quod aliqui obijciunt, Ecclesiam facere injuriam fidelibus; quia privat illos perfecto & integro convivio, & majori gratiâ, quam per utramque speciem possent accipere, responsum fuit suprâ Conclusionè ultimâ præcedentis Sectionis.

Verius injuriam faciunt fidelibus Calvinistæ, qui perinde faciunt atque illi, qui codi-

illos porrigunt hæredibus, & universam substantiam dissipant. Lutherani quoque, qui negant totum Christum sub una specie contineri, adeoque mortuam carnem sub specie panis, & mortuum sanguinem sub specie vini exhibent. Illi, inquam, verius injuriam faciunt fidelibus, quam Ecclesia Catholica, exhibens sub una specie totum Christum, non semel tantum in vita, quod sufficeret ad implendum præceptum divinum; sed sæpius tamquam pia mater, volens filios suos non solum ad sufficientiam, sed etiam ad superabundantiam reficere alimonia illâ cælesti & spirituali. De hac frequenti spirituali refectioe instituitur

## SECTIO NONA.

### De Præcepto Ecclesiastico Communionis.

1. Diversis temporibus diversa sunt communicandi consuetudo.

D. Thom. Anacletus.

**N**on una fuit omnibus temporibus Ecclesiæ consuetudo circa Eucharistiæ frequentationem. Aliqui existimant in primitiva Ecclesia fideles quotidie in divino Missæ Sacrificio communicasse, idque non modo ex devotione, sed etiam ex præcepto, ut vult Doctor Angelicus 3. parte q. 80. art. 10. ad 5. & videtur colligi ex Anacleto Epistola 1. in medio, & ponitur de Consecr. dist. 1. cap. 59. Peractâ, inquit, consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.

Cas. 101.

429.

Quærit ubi Apostoli hoc statuerint? Ecce Canon 10. Apostolorum: Omnes fideles, qui conveniunt in solemnibus sacris ad Ecclesiam, Scripturas Apostolorum & Evangelium audiant. Qui autem non perseveraverint in oratione, usque dum Missa peragitur, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ moventes, conveniunt Communionem privati.

2.

An in primitiva Ecclesia fuerit obligatio quotidie communicandi?

Anacletus.

Sed, ut verum fatear, non video quomodo vel ex hoc Canone, vel ex illa Epistola efficaciter probetur generalis necessitas quotidie communicandi: nam (ut omittam Anacletum posse explicari de solis ministris altaris, ut patet ex verbis præcedentibus) unde constat in primitiva Ecclesia statutum fuisse, ut quotidie omnes fideles audirent Missam & Equidem illis solis præcipitur Communicatio, qui Sacramento Missæ interfuerint.

Unde etiam probatur Episcopos illo tempore quotidie solemniter celebrasse? Equidem de solemnibus Sacro loquuntur jura præcitata. Sic enim dicitur in Epistola Anacleti: Episcopus Deo sacrificans reses (ut præfixum est) secum habeat, & plures quam alius sacerdos. Sicut enim

maioris honoris gradu fruatur, sic maioris testimoni incrementum indiget. In solemnioribus quippe diebus, aut 7. aut 5. aut 3. Diaconos, qui eius oculis dicuntur, & Subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextra, lavag, contrito corde & humilato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum eius præbeant Sacrificio. Peractâ autem consecratione &c. ut suprâ. De obligatione ergo communicandi quotidie nihil certum.

Cæterum refrigerante paulatim charitate, statutum fuit à Fabiano Papa ut saltem in anno ter homines laici communicent (nisi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur) in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini. Ita refertur Can. 16. de Consecr. dist. 2.

Soter adjecto quartum diem, nempe feriam 5. in Cæna Domini, ut habetur Can. 17. de Consecr. dist. 2. ubi sic ait Pontifex: In Cæna Domini à quibusdam percipio Eucharistia negligitur, que quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam penitentes eadem die ad percipiendam Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta reconciliantur.

Tandem indultum est, ut tantum semel in anno, & in articulo mortis tenerentur ad Communionem. Sit itaque

10. et vide 22.  
Sotus qui 101.  
pag. 283 CON.

CONCLUSIO I.

Omnes & soli baptizati postquam ad annos discretionis pervenerint, tenentur jure Ecclesiastico singulis annis communicare, ad minus in Pascha.

genio maturiores sint, & melius instructi in rebus fidei, quam alii anno 16. Cur ergo illi rejiciantur; hi autem admittentur?

Caveant porro parentes, ne in hac re sint notabiliter negligentes, parùm curantes de instructione prolium; per se, vel alios, necessaria ad dignè communicandum; proles etiam, ne resistant determinationi parentum aut Confessarii.

Sed quid si certò constet me habere annos discretionis, adhuc liberum erit Confessario ad unum aut alterum annum Communionem meam differre, ut interea crescat discretio & reverentia erga Sacramentum? Affirmat Suarez disp. 69. lect. 1. nam & usus Ecclesiæ, inquit, ita videtur hanc legem declarasse; & rationi consentaneum est, ut Ecclesiæ non obliget, cum primùm potest: sed facultatem concedat expectandi per aliquod tempus, vel propter majorem reverentiam Sacramenti, vel propter majorem fructum suscipientis, vel ne hi pueri facile exponantur periculo transgressionis. Hæc ille. Accedit quòd in ipso decreto dilatio ad tempus ob aliquam rationabilem causam permittatur judicio Confessarii.

Nihilominus displicet hæc opinio; tum, quia ista exceptio vel mitigatio est contra proprietatem verborum legis; tum, quia sic etiam facile dabitur libertas differendi usque ad tertium; vel quartum annum; tum denique, quia præceptum jejunii, & alia Ecclesiastica obligant præcisè pro eo tempore, quod lege præscribitur. Neque in hoc erunt anxii fideles, ut sciant quando præcisè annos discretionis attigerint; quia si faciunt ex consilio prudentis viri, præsertim Confessarii, erunt tuti, sicut in aliis dubiis moralibus, quæ metaphysicà indivisibilitate nequeunt determinari.

Cæterùm si verum est, quod Suarius dicit, usum sic declarasse illam legem ( de quo ulu mihi non satis constat ) quid adhuc dubitamus? Optima sanè legum interpres est consuetudo.

Reliqua argumenta Suarii nihil probant. Si enim, omnibus consideratis, certò constar Joannem v. g. ad annos discretionis pervenisse, adeoque sine ullo peccato irreverentiæ Sacramentum posse accipere, quo jure privatur fructu Sacramenti tanto tempore? Nam majorem fructum, quem acciperet post duos annos, nonne impedit minor fructus, quem de factò accipit? Certè magis juvat, ut etiam ampliorem recipiat, quàm aliàs recepisset. Sic enim melius disponitur subiectum, saltem habitualiter, per augmentum utique gratiæ sanctificantis, quantumcumque parvum.

Aliud fortè esset, si Sacramentum Eucharistiæ esset initerabile, prout est Sacramentum Confirmationis, quod ideo Ecclesiæ distulit administrare usque ad usum rationis, ut cum majori fructu suscipiatur.

N n 2 Quod

4. sed modo obligatur tantum tempore, non in omni. 5. ut constat ex Concilio Lateranensi. Ita statuit Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 21. & habetur cap. 12. de Pœnit. & remiss. in principio: Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, (saltem semel in anno) scilicet confessatur proprio Sacerdoti: & imunctam sibi penitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinentium: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiastica careat sepultura. En decretum Concilii Lateranensis.

Explico singulas ejus partes, ne quisquam, ut ibidem loquitur Pontifex, ignorantia cœcitate vel amem excusationis assumat.

Omnis utriusque sexus fidelis, Id est, omnis baptizatus, cum Ecclesiæ ( utor verbis Tridentini sess. 14. cap. 2. ) in nimeni iudicium exerceat qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus: Quid enim mihi, inquit Apostolus 1. Cor. 5. v. 12. de his, qui foris sunt, iudicare? Jodicaret autem Ecclesiæ eos, qui foris sunt, si legibus suis tenerentur.

Legislatio quippe actus est jurisdictionis, quem nemo exerceat nisi in subditum; argumento cap. 6. de Majoritate & obedientiâ ibi: Cum inferior superiorem solvere nequeat vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter, & absolvat. Et argumento Legis finalis si. de Jurisdictione. Extra territorium ius dicenti, impunè non paretur. Idem est, & si supra iurisdictionem suam velis ius dicere.

Quid ergo de Pontifice? Resp. probabilis obligari ista lege quoad vim directivam; secus quoad vim coactivam, ut docetur in Tract. de Legibus. Peccaret ergo Pontifex secundum illam sententiam non communicans in Paschate; pœnam verò non incurreret.

Sequitur in decreto: Postquam ad annos discretionis pervenerit. Sed qui sunt illi anni? Resp. illi sunt, quibus novit estimare dignitatem hujus Sacramenti, idque iudicio prudentis viri, præsertim Confessarii. Unde minimè placet, quòd quidam Doctores ex numero annorum ( ut circa annum 12. 14. 15. ) annum discretionis in hac materia determinant; cum aliqui anno 10. in-

Qui sunt anni discretionis?

An quando constat de illis, adhuc Confessarius possit Communionem differre? Affirmat Suarius.

7. Negat A. B. C. D. E.

nisi consuetudo contrarium præscripserit.

Respondetur aliis argumentis Suarii.

4. sed modo obligatur tantum tempore, non in omni.

17. Objicitur.

5. ut constat ex Concilio Lateranensi.

1. Cor. 5. v. 12. de his, qui foris sunt, iudicare?

Cap. 6. de Majoritate.

In 1. q. 2. de Jurisdictione.

18. Probat per Concilium.

6. postquam ad annos discretionis pervenerit.

Non est  
maius peri-  
culum tran-  
sgredien-  
di præcep-  
tum Commu-  
nionis,  
quam au-  
ditionis Sa-  
cra-  
menti.

Quod autem additur de periculo transgressio-  
nis præcepti, anne majus periculum tran-  
sgrediendi præceptum Communionis, quam  
præceptum audiendi Sacrum, præceptum non  
vescendi carnibus in die jejunii & similia, ad  
quæ tamen illi obligantur? Profectò minus  
periculum; cum præceptum, de quo hic agi-  
mus, solum obliget semel in anno, alia autem  
pluries. Nec obitare potest difficultas Con-  
fessionis præmittendæ; quia ad illam equidem  
obligantur.

8.  
An sit idem  
tempus dis-  
cretionis  
respectu  
Commu-  
nionis &  
Confessio-  
nis.

Unde non desunt Auctores, qui censent,  
contra communem aliorum, esse idem tempus  
discretionis ad Confessionem, & Communio-  
nem; tum, quia in favorem animarum, tum,  
quia consonum Concilio Lateranensi supra, ibi:  
*Confiteatur proprio Sacerdoti Sec. suscipiens reveren-  
ter, ad minus in Pascha, Eucharistia Sacramentum.*  
Præmiserat autem: *Postquam ad annos discretio-  
nis pervenerit*: ergo iidem anni discretionis re-  
quiruntur, & sufficiunt ad obligationem con-  
fitendi, & communicandi.

Aliqui af-  
firmant;

Dispositio  
Diana.

Atque hanc sententiam esse probabilem, si  
stemus præcisè juri scripto, & verbis Concilii  
Lateranensis, ut videntur sonare, præsertim  
quantùm ad facultatem ita faciendi, docet Di-  
castillo disp. 10. nu. 102. Quod etiam ante  
ipsum expressit Diana parte 3. tract. 6. resol. 70.  
aliquibus pro ea citatis Auctoribus: quam-  
quam ipse contrariam teneat, utpote magis  
communem & consuetudine ubique receptam.

sed contra-  
rium fuisse  
ex consue-  
tudine.

Declarat autem hæc consuetudo pueros ci-  
tius teneri ad annuam Confessionem, si pecca-  
verint mortaliter, quam Communionem; tum  
propter majorem Confessionis necessitatem;  
tum, quia major est mysterii Eucharistici diffi-  
cultas, & requisita in recipiente reverentia. In-  
credibile profectò est, totam quasi Ecclesiam  
aberrare à vero intellectu propriæ legis tanti  
momenti.

Explican-  
tur verba  
textus.

Quando ergo in textu citato dicitur, omnes  
teneri tum ad confitendum, tum ad communi-  
candum, postquam ad annos discretionis per-  
venerint, intellige annos discretionis cum di-  
stributione accommodata juxta conditionem  
utriusque actionis: id est, ut quando quis per-  
venerit ad annos discretionis pro Confessione,  
confiteatur, & quando quis pervenerit ad an-  
nos discretionis pro Communionem, communi-  
cet. Et hæcenus de secunda parte decreti.

9.

Tertia porro sic habet: *Omnia sua solus pec-  
cata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur pro-  
prio Sacerdoti Sec. suscipiens reverenter, ad minus  
in Pascha, Eucharistia Sacramentum.* In hisce  
verbis quod dicitur de annua Confessione ad  
præsens institutum non spectat. In reliquis ergo  
verbis per *Pascha*, intelligitur spatium quinde-  
cim dierum circa diem Resurrectionis; nimirum  
à Dominica Palmarum inclusivè usque ad  
Dominicam in Albis inclusivè, ut patet ex praxi  
Ecclesie, & declaratione Eugenii IV. apud

Quid intel-  
ligatur per  
ly Pascha.

Eugenii IV.

Navarrum cap. 21. n. 45. Si tamen alicubi con-  
suetudo esset computandi tempus Paschale à  
Quadragesima, vel à Dominica Passionis, aut  
etiam à Feria 5. Cæteræ Domini, illa esset à si-  
delibus observanda.

Sed cum id satis constet inter Doctores Ca-  
tholicos, adhuc tamen controversatur primò,  
an qui prævidet se impediendum à Communio-  
ne Paschali, debeat eam prævenire? Secundò,  
an qui ob impedimentum, vel ex malitia, aut  
negligentia non communicavit in Paschate, te-  
neatur quamprimum communicare? Respon-  
sio ad primam quæstionem erit

CONCLUSIO II.

Prævidens impedimentum debet  
prævenire Communionem an-  
nuam, si obliget, secus Pascha-  
lem.

S Tatuunt nonnulli, idque probabiliter, du-  
plex præceptum Communionis, unum  
Communionis annuæ, alterum Communionis  
Paschalis, quorum primum sine secundo potest  
adimpleri, quamvis non secundum sine primo:  
Pascha namque semper occurrit intrà annum,  
adeoque qui communicat in Paschate,  
necessariò etiam communicat intrà annum. Si-  
cuti si Ecclesia præciperet singulis hebdomadi-  
bus audire Missam, saltem in die Dominica,  
esset duplex virtualiter præceptum; hoc est,  
unum præceptum continens duas partes, quarum  
prima impleri potest sine secunda, licet  
non è converso, quia possum audire Missam in  
hebdomada alià die quam Dominicà; nequeo  
tamen audire Missam in die Dominica, quin  
simul audiam in hebdomada, quoniam dies  
Dominica est una ex septem diebus hebdo-  
madæ.

Neque hoc duplex præceptum Commu-  
nionis, vel potius duplex pars unitus præcepti, est  
noviter à Lugone excogitata, sed ejus meminit  
Suarius d. 70. sect. 2. probans suam assertionem,  
de qua infra, ex intentione hujus legis, quæ, in-  
quit, duas partes principales includit: una est,  
ut Communio ultra annum non differatur, al-  
tera est, ut saltem fiat tempore Paschatis: &  
utraque est principaliter intenta, præsertim prior.  
Ita ille.

Plures alios Auctores citat Lugo disp. 16.  
n. 65. quos sequitur n. 66. dicens: Hoc præ-  
ceptum non est sicut præceptum jejunandi vel  
audiendi Missam tali die; sed continet virtuali-  
ter duo præcepta, alterum Communionis, sal-  
tem in anno; alterum communicandi in Pa-  
schate; hoc secundum alligatur tali termino,  
quia respicit venerationem istius Festivitatibus;  
alterum adhuc perseverat.

Collit.

probat ex  
verbis le-  
gis

Colligitur autem hoc in primis ex verbis legis: *Saltem semel in anno confiteatur, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistia Sacramentum.* Nam illa verba, *Saltem, & Ad minus,* satis indicant simul prohiberi minorem frequentationem Communionis, & præcipi ad minus annuam.

Sec. Tri-  
dentino:

Quem esse illorum verborum sensum, explicuit magis Concilium Tridentinum sess. 13. can. 9. *Si quis, inquit, negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum iuxta præceptum S. Matris Ecclesie, anathema sit.*

Ubi verba illa Innoc. *semel saltem in anno,* non solum ad Confessionis, sed ad Communionis etiam præceptum referuntur. Sicuti ergo Confessio obligat annuè, ita etiam Communionio: insuper verò Communionio ad minus in Pascha; quod non dicitur de Confessione.

12.  
que proba-  
tio non pla-  
ceat Dicen-  
tino.

Sed hæc probatio non placet Dicastillo: Ego (inquit disp. 10. n. 140.) in his verbis legis nihil tale invenio, imò sine illa obligatione per annum totum durante, & solâ obligatione alligatâ ad Pascha, video sufficienter & propriè habere posse suum sensum, & vim prædicta verba, & hoc esse maximum fundamentum pro secunda (id est, opposita) sententia. Nam verum adhuc erit dicere: *Omnis utriusque sexus debet suscipere ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum.* Mutemus ergo verbum, *Debet suscipere,* in imperativum, *Suscipiat,* & dicatur: *Omnis utriusque sexus suscipiat ad minus in Pascha* &c. tunc de tali verbo erit eadem ratio: ergo ex vi verborum illius legis nihil aliud probatur.

qui alio  
modo ex-  
ponit illas  
particulas  
datam, &  
ad minus.

Nec obstant illæ particulae *saltem, & Ad minus:* possunt siquidem habere aliam significationem optimam, apposituissimam, & dignam Concilio, & Pontifici, nempe optaret Concilium (ut etiam sess. 22. cap. 6. expressit Tridentinum) quod fideles aut quotidie, aut frequenter, id est, *ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistia perceptione communicarent;* præcipit autem, *ut ad minus in Pascha hoc faciant.* Quod præceptum non exigit, ut illa verba ulterius pergant. Sicut si dixisset: *Optaret Sancta Synodus, ut omnes fideles omnibus diebus hebdomadæ audiant Missam, & præciperet ut ad minus die Dominico eam audiant;* non ideo censetur velle, ut ambulatoriè (sic liceat loqui) iret obligatio per omnes hebdomadæ dies.

Sane hunc esse sensum verborum Concilii Lateranensis satis videtur indicare tenor præcepti, prout exprimitur in Catechismo: *Eucharistiam, inquit, ad minus semel in anno, id est, circa festum Pascha sumito.* Veluti si præciperet: *Singulis septimanis, ad minus festis & Dominicis diebus Missam audito.* Quidni ergo idem sit sensus verborum Concilii Tridentini? Non enim statuit

novum jus, sed confirmat vetus, ibi: *Iuxta præceptum S. Matris Ecclesie.*

Quod autem addit, *Singulis annis,* ideo dicit, quia Pascha singulis annis recurrit; & ne quis forte ineptè putaret, quod sufficeret in aliquo Paschate, quodcumque in vita elegerit, communicare; ideo non unum Pascha unius anni, sed in singulis declaratur.

Sicut posset dicere Concilium de præcepto Missæ: *Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis hebdomadæ; saltem in Dominica ad assistendum Sacrificio Missæ, iuxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesie, anathema sit, absque eo, quod intelligamus duo præcepta; quin sufficiat unum affixum diei Dominicæ.* Ita ferè Dicastillo.

Verò cum hic Auctor toties repetat simile de audienda Missa, responderet facillimè Cardinalis, petitionem esse principii, & eandem fore rationem præcepti audiendi Missam, si eisdem verbis ab Ecclesia fuisset latum; ac nullatenus coincidere hanc propositionem: *Optat Ecclesia ut omnes fideles omnibus diebus hebdomadæ audiant Missam, & præcipit ut ad minus die Dominico eam audiant,* cum ista: *Præcipit Ecclesia, ut omnes fideles singulis septimanis audiant Missam, ad minus die Dominico.*

De cætero etiam satis videam sic posse explicari præceptum Communionis, ut cum ipso festo tota obligatio expiret, sicut expirat obligatio audiendi Missam cum die Dominico; attamen ignoro, an illa fuerit mens Ecclesie. Unde sic argumentor ex Lugone supra nu. 67. Ecclesia debuit, exigente fidelium negligentia, determinare tempus implendi præceptum divinum, in quo non fuerat tempus determinatum; in hoc autem defecisset Ecclesia; si eum, qui in Paschate non communicaret, liberum reliquisset; multi enim tunc ob impotentiam excusarentur: cum ergo divinum præceptum non respiceret venerationem, & cultum Paschatis (principaliter) sed debitam frequentiam Eucharistia, hanc debuit Ecclesia primo loco, & principaliter præcipere, ac infrequentiam prohibere, licet obiter præciperet Paschalis festivitatis venerationem.

Confirmatur à simili: Præceptum recitandi Horas, obligat sub veniali ad recitandū debito tempore, nisi rationabilis causa excuset, & tamen qui debita hora non recitavit, non manet liber, sed debet sub mortali intrâ eandem diem supplere; quia est quasi duplex præceptum: alterum obligans sub mortali ad recitandū semel in die, alterum obligans sub veniali ad recitandū tali horâ; quâ elapsâ, adhuc manet obligatio alterius præcepti. Sic ergo videtur esse in casu nostro, cum hoc discrimine, quod utraque obligatio sit sub mortali propter materia gravitatem. Hactenus Eminentissimus pro sua sententia.

13.  
Quare à  
Trident. ad-  
datur ly  
Singulis an-  
nis.

14.  
Que fuerit  
in hac re  
mens Ec-  
clesie.  
Argumen-  
tum pro  
sententia  
Lugonis.

Confirmat-  
io à simili

Quæ profectò, ut antea dixi, non est ita nova, quemadmodum aliqui imaginantur, nisi in eo, quòd putet non esse obligationem statim communicandi post Pascha; sed sufficere, quòd communicet ante annum expletum: quod non est adedò insequentèr dictum; quamquam & tunc consequenter dicere debuisset, nullam esse obligationem post Pascha communicandi, si aliquando ante Pascha communicaverit; quia talis verè implevit præceptum Communionis annuæ, & præceptum communicandi in Paschate est redditum impossibile, de quo plura infra.

15.  
Sed ad di-  
ctam ratio-  
nem & con-  
firmatio-  
nem re-  
spondet  
Dicastillo,

Nunc videamus, quid ad illam rationem & confirmationem reponat Dicastillo. Hoc argumentum, inquit, duas habet partes. Prior pars est, quia Ecclesia debuit, exigente fide-  
lium negligentia, determinare tempus imple-  
di præceptum divinum &c.

Hæc pars argumenti (prosequitur n. 143.) parùm probat: tum, quia cum sint multi dies Paschatis, non sunt nimis multi, qui unâ vel aliâ die illarum possint communicare: tum, quia cum præceptum Confessionis juxta verio-  
rem sententiam duret usque ad finem anni, et-  
iam post Pascha, non est admodum timendum, quòd qui legitime confitentur, non communi-  
cet; atque adedò non necessarium fuit, Eccle-  
siam esse valde sollicitam pro iis paucis, qui non potuerunt communicare: tum denique, quia etiam est opinio probabilis, quòd colere festâ sit præceptum divinum, quod determinavit Ec-  
clesia ad certos dies; nec ideo ille cultus obligat pro alio die.

Secunda pars argumenti est: Quia præcep-  
tum divinum non respicit venerationem &  
cultum &c. Neque hæc, inquit n. 145. mul-  
tùm roboris habet: quia cum Communio Pas-  
chalis recurrat singulis annis, & per Commu-  
nionem Paschalem utrumque præstetur, quia  
per illam & veneratio exhibetur illi tempori, &  
infrequentia vitatur, potuit Ecclesia unico præ-  
cepto utrique rei prospicere, affigendo Com-  
munionem illi tempori, quod singulis annis  
colitur. Id quod etiam reperitur in præcepto  
audiendi Missam in Dominica die. Hæc summa  
responsionis ad rationem Lugonis.

16.  
Dicastillo  
ab Auctore  
impugna-  
tur.

Sed quod attinet ad determinationem præ-  
cepti divini, sive Communionis, sive cultus Fe-  
storum, illam supra negavimus & adhuc nega-  
mus. Nihilominus ex hypothefi ab utroque illo  
Auctore admisâ, Resp. pro Lugone: si Ecclesia  
pro singulis annis determinasset unum solum  
diem festum, sicut determinavit unam tantùm  
Communionem, minùs bene prospexisset in-  
frequentia cultus, illam obligationem colendi  
Deum affigendo isti diei, sic quòd cum ipso  
die festo expiraret obligatio cultus pro illo  
anno. Jam autem cum plurimi dies tum Do-  
minici, tum alii singulis annis cultui divino  
dedicati sint, nulla fuit necessitas faciendi ob-

ligationem quasi ambulatoriam per alios  
dies.

Profectò nimis multi reperiuntur, qui vel ex  
malitia, vel ex justa causa diebus Paschalibus  
non communicant: pauci autem, vel nulli,  
qui integro anno omittunt omnibus diebus  
Dominicis & festis colere Deum. Et qualis,  
quæso, consequentia: Legitimè confitentur,  
ergo communicat? Nonne plurimi fideles fre-  
quentiùs confitentur, quàm communicant?

Sed esto, difficultas Confessionis sit causa  
non communicandi in Paschate, quid inde?  
Ergo, inquis, cum adhuc perseveret obligatio  
confitendi, non est admodum timendum, quòd  
qui postea legitime confitentur, non commu-  
nicent.

Contrà: quot hodie non inveniuntur, qui  
ideo præcisè confitentur, quia tenentur com-  
municare? Et putas quòd hujusmodi, si vel  
legitimè impediti, vel ex negligentia aut ma-  
litia non communicaverint in Paschate, putas,  
inquam, quòd tranfacto Paschate confitebun-  
tur, si expiraverit obligatio communicandi?  
Præterea natum est contingere, quòd aliqui in  
principio anni satisfecerint præcepto Confessio-  
nis: ergo illis saltem timendum, quòd non  
communicabunt.

Dices; si præceptum communicandi singu-  
lis annis est duplex: ergo qui toto anno non  
communicant, peccant duplici peccato, quòd  
videtur esse contra communem sensum fide-  
lium, qui in Confessione non se arguunt dupli-  
cis peccati.

Respondeo; arguunt se Communionis  
omissa per totum annum, in qua omissione sa-  
tis per se intelligitur illud duplex peccatum.  
Sicuti si quis confiteretur se integro anno non  
audivisse Sacrum, eo ipso satis significat non  
unum tantùm, sed plura commisisse peccata.

An autem toties peccet, quoties post Pascha  
habet opportunitatem communicandi, & non  
communicat, est alia quæstio. In sententia Lu-  
gonis res non habet difficultatem; quia præ-  
ceptum Communionis Paschalis expirat cum  
ipso Paschate: præceptum autem Communi-  
onis annuæ potest impleri singulis diebus anni,  
& non est major obligatio pro hoc die, quàm  
pro quolibet alio: ergo tantùm semel potest  
peccare contra illud præceptum. De quo plura  
sequenti Conclusionè.

Venio ad probationem præsentis Conclusio-  
nis, quæ facilissima est. Enimvero cum obligatio  
annua, ut mox diximus, sit in singulis diebus,  
si hoc die possum communicare, & prævideam,  
quòd reliquis diebus subsequentiùs minimè  
potero, nemo dubitat, me teneri communicare  
hoc die. Simile est in eo, qui videt, quòd in  
die Dominica non poterit audire Sacrum, nisi  
præcisè horâ sextâ: talis namque tenetur præ-  
venire alias horas, in quibus prævidet futurum  
impedimentum; siquidem illa obligatio est pro  
1010

toto tempore ante meridiem, & ut suppono, toto illo tempore manet subditus legi.

Quod addo; quia satis probabile est, si ante expletum tempus obligationis, in quo posset satisficere præcepto, sit in alio, ubi non est talis obligatio, probabile, inquam, est, ut alibi doceatur, non esse obligationem præveniendi. Sed hoc non habet locum in nostro casu, cum præceptum singulis annis communicandi non sit locale, sed personale, sequens personam ubicumque fuerit. Ecce probatio primæ partitis.

Secunda pars non minus est evidens, quidquid aliqui contradicant: cum enim Communio Paschalis non obliget nisi præcisè pro tempore Paschæ; non potest illam, multò minus teneri, prævenire, communicando extra tempus Paschale; siquidem non potest impleri præceptum, quod nondum est, nisi per privilegium, de quo hic non constat.

Dixi: Communicando extra tempus Paschale; quia si prævidet se impediendum posterioribus diebus quindenarum, certum est debere communicare in aliquo ex diebus prioribus, ut statim diximus de Communione annua, & obligatione audiendi Sacrum die Dominicâ. Adde obligationem legendi Horas canonicas, quas teneo legere manè; si prævideam me post meridiem fore impediendum.

Ex hac doctrina sequitur, ita præveniendum totum tempus Paschale, non secuto impedimento, teneri iterum communicare in Paschate; verè etenim illud præceptum non adimplevit, sed solum præceptum Communionis annuæ, & cum aliquo, ut supponitur, servari possit, cur non debeat?

Dices; licetum est differre Communionem Paschalem ultra tempus Paschatis ex consilio Confessionarii; ergo ex præsumpta voluntate Ecclesiæ etiam anticipare.

Resp. Negando Consequentiam: nam Antecedens expressis verbis declaratur, seu conceditur in ipsa lege scripta: illius verò voluntatis Ecclesiæ, quæ præsumitur in Consequente, nullam extat indicium, neque in lege scripta, neque in consuetudine: ergo præsumptio huiusmodi infundata; adeoque actus, qui illi innititur, per se corrumpitur. Quidni corrumpatur, cum omnes fideles existiment se peccare mortaliter non communicando in Paschate, tamen antea pluries communicassent?

Inflas; est par ratio anticipationis, & postpositionis? Esto (quod non, ut statim edissero) in positivis non valet argumentum à paritate rationis. Num tibi videtur hoc argumentum efficax: Licet ex privilegio Ecclesiæ vespere legere Matutinas sequentis diei; ergo à pari, licet manè legere Vesperas & Completorium diei præcedentis? Et tamen Ecclesiæ, sicut unum concessit, posset & aliud indulgere, si vellet.

Non est, inquis, eadem ratio. Sirta. Dico & ego, in nostro casu non esse eandem rationem: nam postpositio Communionis renititur ad iudicium proprii Sacerdotis; tu verò antepositionem permittis iudicio uniuscujusque communicantis. Præterea postpositio non est obligatoria; tu autem anticipationem doces obligare. Profectò tamen lectio Matutinarum possit anticipari, nulla tamen est obligatio, quantumcumque prævideam altero die impedimentum, quia nullus tenetur uti suo privilegio.

Instabis rursum: si aliquis bonâ fide putans se habiturum impedimentum post meridiem, ante meridiem legit Vesperas & Completorium, licet postea impedimentum cesserit, non obligatur etiam sub veniali iterum recitare illas Horas tempore ordinario: ergo per recitationem anticipatam satisfecit duplici præcepto, scilicet recitandi Horas, & recitandi tali tempore; nam si secundò nondum est satisfactum, manet obligatio, quæ antea erat, recitandi post meridiem; ergo similiter per Communionem anticipatam satisfactum est præcepto Communionis annuæ, & simul etiam præcepto Communionis Paschalis.

Resp. Negando Consequentiam: ratio differiminis; quoniam usus communis sic explicat unum præceptum, & non aliud. Alioquin, qui non prævilo impedimento anticipasset Communionem Paschalem, liber foret à communicando in Paschate, tamen facile posset: sic enim qui malâ fide, hoc est, absque rationabili causa, legit Vesperas & Completorium ante meridiem, non tenetur secundo legere post meridiem, ut constat ex praxi.

Itaque præceptum communicandi in Paschate non est simile in omnibus præcepto recitandi singulas Horas cujusque diei statutis temporibus; sed magis assimilatur præcepto audiendi Missam, vel jejunandi tali die, quæ ita alligantur diei, ut nec anticipari possint privatâ auctoritate, nec postponi.

Tantum autem abest, quòd Ecclesiæ concederet potestatem anticipandi Communionem Paschalem ex rationabili causa, ut potius in ipsa lege significet oppositum: exceptio namque, ut communiter dicunt Theologi & Jurisperiti, firmat regulam in contrarium: igitur cum lex solum det facultatem differendi Communionem ex consilio Confessarii, bene arguitur, non posse anticipari, hoc est, non posse fieri, etiam ex consilio Confessarii, ut qui communicavit ante Pascha, non teneatur iterum communicare in Paschate, si pro tunc nullum occurrat impedimentum. Quid miramur? Etenim neque dispensare potest, aut consulere, ut qui in Paschate non habet aliquod impedimentum, abstineat tunc à Communionem, & in aliud tempus differat.

Sed

Neque est paritas rationis in dilatione & anticipatione.

21. Instas.

Solvitur.

Præceptum communicandi in Paschate non est simile in omnibus præcepto recitandi singulas Horas statutis temporibus.

Exceptio firmat regulam in contrarium.

22. Objectio.

Sed fortassis hic aliquis tacitis secum cogitationibus dicat: pauci hodie inveniuntur, qui cum privatim legunt divinum Officium, horas postas in Rubricis Breviarii observant: immo Caramuel Theol. fundamentalis (primæ editionis) p. 1. n. 117. sincerè protestatur se in Hispania, Gallia, Belgio, Germania, Bohemia, Hungaria, non cognoscere unum, qui eas observet exactè: unde ergo obligatio sub veniali, quam in instantia videmur supponere?

An detur preceptum de tempore legendi privatim horas?

Audi Caramuelem supra: Si standum, inquit, est consuetudini, sufficit dicere Vesperas & Completorium post prandium, Matutinas & cæteras horas ante prandium. Sed qualis, interrogat, hæc ipsa consuetudo? An quæ habet vim legis? Respondet: Hic ingrederemur difficultatem quæ paucis expediri non posset. Quam ego Dianæ examinandam relinquo. Hæc ille. Interim subscribit Conclusionem quartam sequentis tenoris: Non datur de facto præceptum de tempore legendi privatim. Ubi verò non est lex, nec est prævaricatio. Vide præfatum Auctorem loco citato.

23. Dialectico.

Dialectico supra nu. 160. sic inquit: Video sanè hoc esse receptissimum; mihi tamen difficile est agnoscere in ea anticipazione veniale peccatum. Sed quæ hujus difficultatis ratio? Nam (prosequitur) omne actionis peccatum, aut omissionis est, aut commissionis; id est, vel contra præceptum affirmativum, vel contra negativum: ulterius debet posse assignari tempus vel instans, in quo committatur; atqui peccatum hoc, quod dicitur esse in anticipazione, nec omissionis esse potest, nec commissionis, nec assignari potest quando committatur: ergo nullum est.

Probat Minorem, in qua sola potest esse difficultas; Nam si loquamur de illo tempore, in quo anticipo, nec commissionis peccatum committo, nec omissionis; non quidem commissionis contra aliquod præceptum negativum, quo mihi præcipitur: *Ne dicas hoc tempore istas preces*; nec enim mihi prohibetur orare eas potius, quam alias: ergo dicendo illas non pecco peccato commissionis, multò minùs tunc pecco peccato omissionis; tum quia dicere illas preces, non est omisio, ut patet; tum quia nullum habeo præceptum dicendi tunc alias, cum quibus hæc sint impossibiles: ergo nullam tunc committo peccatum. Postea verò quando jam adest tempus congruens illis precibus, nulla est obligatio dicendi illas, supposito quòd jam antèa dixerim, ut omnes concedimus: nullum ergo apparet peccatum. Hæc ille, nihil tamen definiendo.

24.

Si est peccatum non legere suo tempore, est peccatum commissio- nis.

Nec ego aliquid in hac materia velim definire: hoc tantùm dico, si verè est peccatum, esse peccatum commissionis contra præceptum negativum consuetudine stabilitum: *Ne dicas hoc tempore istas preces, tanquam debitas ex præcepto legendi Horas Canonica, & ut per illas satisfacias tuæ obligationi.*

Si inferas: ergo non satisfacio obligationi meæ per hujusmodi lectionem Horarum. Resp. Negando Consequentiam: *Multa enim fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roborem firmitatem. cap. Ad Apostolicam. 16. de Regularibus.*

Redeo ad principale, & resolvendo secundam quæstionem supra propositam, dico:

CONCLUSIO III.

Qui vel ob impedimentum, vel ex malitia, aut negligentia non communicavit in Paschate, non tenetur proximâ opportunitate.

Computo annum juxta communem significationem à prima die Januarii usque ad ultimam Decembris: quæ enim ratio aliter computandi? Nam quod aliqui dicunt, per illas particulas, *saltem, & ad minus*, Ecclesiam velle significare, quòd Pascha sit terminus, seu finis obligationis annuæ, ac si diceret: Sacerdos legat Horas suas saltem horâ undecimâ noctis, quia tunc adest terminus temporis, quo currit obligatio, hoc, inquam, videtur repugnare communi sententiæ, scilicet obligationem communicandi in Paschate inducendam esse ab Ecclesia propter venerationem Festi, prout obligatio audiendi Missam propter cultum diei Dominicæ. Alioquin terminus temporis, quo currit obligatio communicandi, satis expresserat Concilium per *ly Singulis annis.*

Hæc itaque computatione suppositâ, & admissio duplici præcepto, scilicet Communionis annuæ, & Communionis Paschalis, haud difficilis erit probatio Conclusionis. Enimverò Communioni Paschali, quâ tali, non potest amplius satisfieri, cum tempus exiiverit. Sicuti obligationi audiendi Missam in die Dominica, non potest satisfieri per auditionem Missæ in altera die, quia res præcepta est auditio Missæ in die Dominica. Et ideo qui vel propter impedimentum, vel ex malitia, aut negligentia non audit Sacrum in die Dominica, non tenetur proximâ opportunitate; quia materia legis facta est impossibilis. Ergo similiter, qui non communicavit in Paschate, non tenetur proximâ opportunitate, quia Communioni in Paschate facta est impossibilis.

Porrò Communioni annua impleri potest singulis diebus anni, ergo differri poterit usque ad ultimam Decembris. Fieri etiam potest ut ante Pascha impletum fuerit præceptum Communionis annuæ, quo casu nulla remanet obligatio communicandi post Pascha, estò annus computaretur, ut aliqui volunt, à Paschate in Pascha. Ratio patet ex dictis; nam Communioni Paschali

Paschali non potest amplius satisfieri; Communioni autem annuæ satisfactum fuit ante Pascha.

Sed quid si ante Pascha non communicaverit, nec communicet in Paschate, & Pascha sit terminus anni? Resp. primâ opportunitate esse communicandum, non ut satisfiat Communioni Paschali; sed Communioni annuæ. Etenim terminus anni constitutus est, ut terminus executionis, hoc est, ultra quem non differatur Communio, non verò ut terminus, in quo expiret obligatio communicandi.

Similia multa præcepta sunt obvia. Præcipitur, secundùm communem sententiam, ut singulæ Horæ Officii divini dicantur certis diei temporibus, in quibus tamen si omittantur, non cessat obligatio. Præcipit Confessor pœnitenti, ut ferâ sextâ jejuret, principaliter intendens, sicut ordinariè fit, unius diei jejunium, etsi tunc omittatur, non extinguitur obligatio. Tenetur quispiam quotannis solvere tributum; ergo cum anno expirat obligatio solvendi, negatur ab omnibus Consequentia. Sacerdos ex vi Beneficii sui tenetur singulis annis legere certum numerum Missarum; si id facere omittat, non propterea extinguitur transactò anno obligatio.

Ergo similiter impræsentiarum, cum præcipiunt motivû præcepti Ecclesiastici sit, ne Communio diutius, quàm par est, differatur, liquet profectò eum peccare, qui elapso anno, non statim, id est, primâ opportunitate communicat.

Quæris, contra quod præceptum peccet? Resp. contra præceptum negativum non differendi Communionem ultra annum. Si autem ulterius interrogas: an ergo toties peccet quoties habet opportunitatem communicandi, & non communicat?

Resp. si ex malitia non communicavit intrâ annum, potius continuare prius peccatum; sicut qui non solvit debitum tempore statuto, vel non restituit rem alienam, quando commodè potest, censetur peccare uno continuo peccato, quamdiu manet commoditas solvendi vel restituendi, & non restituit vel solvit. Sin autè solutio vel restitutio fiat impossibilis, & redeunte potentiâ novam eliciat voluntatem non solvendi vel restituendi, indubiè peccat novo peccato.

Quidni similiter peccet novo peccato, qui aliquo tempore legitimè excusatus à Communione, redeunte opportunitate novam elicit voluntatem non communicandi? Non video disparitatem. Ergo tenebitur illa distincta peccata in Confessione explicare; Concedo totum.

Contrà; fideles ea non solent explicare, neque Confessarius solet de illis interrogare. Resp. unde constat? Præterea idem dici posset de volitione non solvendi aut restituendi: putat enim pœnitens se satisfacere explicando ablationem sive retentionem rei alienæ; & Confessarius nihil amplius interrogat; quia communiter illæ novæ voluntates non interveniunt, ideoque

existimat se sufficienter cognoscere statum pœnitentis, quando cognoscit tempus quo pœnitens fuit in mora solvendi aut restituendi: ergo & hic sufficere debet Confessario scientia temporis elapsi ab ultima Communione, cum pœnitentes, nisi valde docti, nesciant inter illa peccata distinguere, defectu reflexionis super proprios actus, quando versantur circa idem objectum.

Accedit probabilitas sententiæ, quæ docet unicam esse obligationem communicandi singulis annis, ita affixam diebus Paschalibus, ut simul cum illis expiret, sicut obligatio legendi Horas canonicas est affixa singulis diebus, & obligatio audiendi Sacrum expirat cum ipso festo; adeò ut nec ante festum, nec post festum possit, aut debeat illi obligationi satisfieri. Ita docent Antoninus, Tabiena, Medina, Victoria, Ledesma, Toletus, Henriquez, Valentia, Sotus, & alii apud Dianam parte 3. tract. 4. resol. 41. quorum auctoritas facit hanc opinionem tutam & securam in praxi.

Ratio fit: quia neque ex verbis legis, neque ex mente Ecclesiæ hæcenus declarata, evidenter possumus colligere aliam obligationem; ergo non est asserenda, quoniam multiplicatio obligationum odiosa: *Odia autem restringi, & favores convenit ampliari* Reg. 15. de Reg. jur. in 6.

Equidem elegimus sententiam magis communem, & ut apparet, maximè conformem intentioni, & fini Ecclesiæ. Et quamvis, ut communiter dicitur: finis Legislatoris non cadat sub legem, nisi etiam sit materia legis; tamen quando ille finis est principalis, ex illo rectè conjectamus sensum & intentionem legis, ac materiam ejus. Addit Suarez disp. 70. sect. 2. hunc finem non esse extrinsecum, sed intrinsecum; substantialemque materiam hujus legis, ut patet ex dictis Conclusionem præcedenti & præfenti.

Quid dicam, quòd illi, qui non communicaverunt in Paschate, cogantur à Prælati Ecclesiæ, etiam sub pœnis & censuris, ad quocumque communicandum? Sanè & hoc ipsum militat contra nostram Conclusionem. Unde

Respondeo: vel sequuntur alteram opinionem; vel pœnas minantur ob delictum in omiſſi Communione patratum: cum enim propterea pœnam mereantur; neque jus ullam latæ sententiæ apponat, sed solùm ferendæ, judices illam minantur se illaturos, non ob peccatum continuatum omiſſæ Communionis quasi adhuc obligantis, sed ob peccatum præteritum; ob quod tamen non infligerent illam, nisi ex supposito quòd nolint postea comunicare. Est itaque pœna pro peccato transactò, ad quâ tollendam requirunt Prælati Ecclesiæ talem satisfactionem; adeòque obligantur tantùm sub pœna communicare, non sub culpa.

Contrà; ubi non est culpa, non debet esse pœna. Resp. sufficit culpam fuisse: nam ut habet

28. Est probabile, obligationem expirare cum Paschate.

Antoninus, Tabiena, Medina, Victoria, Ledesma, Toletus, Henriquez, Valentia, Sotus.

Contraria sententia est magis communis & conformior intentioni & fini Ecclesiæ.

29. Objectio.

Solvitur.

Prælati minantur pœnas ob peccatum præteritum.

25. qui intra annum non communicavit, tenetur proximo opportunitate.

Probat à simili.

26. non debet impediri à jejunio si quis sit in mora.

27. Præceptum negativum non differendi Communionem ultra annum.

An toties peccet, qui non solvit debitum tempore statuto, vel non restituit rem alienam, quando commodè potest, censetur peccare uno continuo peccato, quamdiu manet commoditas solvendi vel restituendi, & non restituit vel solvit.

Obiicitur solvitur.

Reg. 23. de Reg. juris in 6. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Quis autem ambigit peccatum præteritum esse causam? Nonne fur suspenditur propter furtum præteritum, estd de facto amplius non peccat?

Urget: illa pœnâ coguntur ad communicandum. Nego; & ostendo ex verbis Decreti Lateranensis: *Alioquin, inquit, & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens ecclesiasticâ careat sepultura.* Quæ pœna, ut liquidò constat, non adhibetur ut aliquid fiat; sed quia factum non est.

Si autem à me queritur, quare ergo cessetur à pœnâ, quando reus offert communicare? Resp. quia offert satisfactionē. Et si dixerò, hoc ipsum posse eis injungi per modum pœnæ, quòd communicent postea, quis me arguet de errore? Injungitur ergo, ut primâ opportunitate communicent, & ecce obligantur in conscientia, sicut obligantur pœnitentes, quibus Confessarius præcipit communicare in satisfactionē pro peccatis commissis. Sed de hac obligatione hic non queritur. De qua ergo? De illa, quæ præcisè dicitur ex præcepto Ecclesiastico Communionis Paschalis.

Dices: qui ex consilio proprii Sacerdotis, seu Confessarii distulit Communionem, tenetur postea ex eodem præcepto, ex quo tenebatur communicare in Paschate; ergo etiam qui ex malicia distulit; ne alioquin malitia ei patrocinetur.

Resp. Neg. Consequentiam; quia prius in textu exprimitur, non posterius. Unde si simili modo loqueretur præceptum audiendi Sacrum in diebus Festis, deberet differens de consilio Sacerdotis supplere postea Missam, non aliter, qui omisit ex malitia. Eodem modo sicut ille, qui ex malicia celebravit non confessus, non tenetur quamprimum confiteri, sed qui celebravit ex necessitate.

Neque talis reportat commodum ex malicia, sed magnum incommodum; scilicet offensam Dei & legis transgressionem, quam legem alter procedendo ex consilio Confessionarii non transgreditur.

Instabis: qui differt ex iusta causa, per se excusante à communicando hîc & nunc in Paschate, tenetur postea: ergo &c. Responderi posset primò Neg. Antecedens: sicut non tenetur audire Missam feriâ secundâ, qui die Dominicâ fuisset legitime impeditus. Ita docet Emanuel Rodriguez Sum. casuum conscientie c. 64. n. 1.

Respondetur secundò Neg. Consequentiam; nam etsi jus tantùm loquatur de illo, qui abstinere à Communionem ex consilio proprii Sacerdotis, id sit potius exempli ordinarii gratiâ, quia videlicet dum est iusta causa, solet homo timoratus non fidere proprio iudicio, sed Confessarii.

Mens itaque legis est eadem & generalis, quando iusta causa & impedimentum adest, cum etiam arbitrium Confessarii debeat in iusta causâ fundari, ut prolongatio temporis sit iusta. Cate-

roquin qui haberet impedimentum de se excusans, si ad securitatem expeteret arbitrium proprii Sacerdotis, deberet postea ex lege illi communicare. & non si tacuisset; quod videtur absonum. Unde sic docent Armilla & alii tenentes alioquin unicum tantùm dari præceptum communicandi, scilicet in Paschate, quod cum illo de per se expirat.

In sententia, quæ agnoscit duplex præceptum, existimo quando impedimentum fuit sufficiens de se, Communionem sine ulla alia causa differri posse usque ad finem anni; sed si impedimentum de se non erat sufficiens, licet bene, ut ex consilio Confessarii ad tempus à Communionem abstineret; tunc enim ex vi Decreti obligabitur communicare tempore à Confessionario præstituto. Hæc enim unica videtur esse mens Concilii, videlicet, ut qui de per se tenentur in Paschate communicare, possint ex aliqua rationabili causa ex iudicio proprii Sacerdotis ad certum tempus ab ipso præscribendum Communionem differre, quasi per commutationem unius Communionis in aliam. Qui autem per se liber est ab obligatione præcepti, non indiget commutatione aut dispensatione.

Hinc si quis non solum in Paschate, verùm etiam toto reliquo tempore anni iustè foret impeditus, vel nullam haberet obligationem communicandi ratione anni præteriti, si cum anno expirat præceptum, vel obligaretur pro primâ opportunitate, si præceptum non expirat; sed si impedimentum de se non erat sufficiens, sed distulit, alioquin obligatus, ex consilio Confessarii: tunc siquidem, ut statim dixi, obligaretur pro tempore à Confessario præscripto; proxime quidem ex præcepto Confessarii, remotè autem ex Decreto Concilii, quod talem dedit Confessarii potestatem.

Porro ad argumentum supra pro sententia Armillæ, dico, nihil referre, si ad securitatem consulat Confessarium, dum modò iudicet Confessarius causam per se esse suffICIENTEM.

Hinculq; de secunda parte Decreti. Tertia non minorem habet difficultatē. Sed quæ illa? *Suspiciens* (inquit Pontifex) *reverenter.* Hic jam queritur, de qua reverentia Decretum loquatur, an de sola externa, an verò etiâ de interna, id est, debita dispositione ad effectû gratiæ? Pro responsione sic

CONCLUSIO IV.

Utrique præcepto Communionis, tum Divino, tum Ecclesiastico, satisficit per Communionem sacrilegam.

Ita Doctores communiter contra Franciscum Sylvium 3. parte q. 80. art. 11. & quosdam alios. Ratio sumitur ex generali regula, quam tradunt Theologi in materia de legibus. Quia lex præcipiens actum, præcipit solum lubilitatem

30. Probat ex Conc. Later.

potest inungi per modum pœnæ quòd postea communicent.

31. Differens ex consilio Confessarii tenetur postea communicare.

id enim in lege præscribitur.

32.

Rodriguez.

Idem videtur a quibus dicitur dum de omittente ex iusta

tiam ejus, non verò modum; nisi modus sit essentialis actui secundum se, vel prout sub legem cadit. Sicuti quia attentio interna probabiliter est de essentia orationis; ideo qui ex aliquo præcepto tenetur orare, tenetur ex consequenti attentè orare. Item quia diligere Deum super omnia est de essentia dilectionis charitativæ, idcirco præceptum charitatis obligat ad diligendum super omnia.

Contrà verò, suscipere Baptismum cum gratiæ effectu, jejunare cum merito, Missam audire, vel legere Horas propter Deum, non est de essentia horum actuum, & ideo talibus præceptis non intelligitur ille modus comprehensus. Unde licet quis in statu peccati mortalis, vel ob finem mortalem jejunaret, Baptismum susciperet, Missam cum debita attentione audiret &c. impleteret præceptum.

Alioquin, ut bene notat Scotus 2. dist. 28. q. unicâ n. 3. in fine: *Quicumque commisit peccatum mortale, si postea non occidit, quia Deus præcipit non occidere, si etiam non foretur, quia Deus præcipit non furari, peccat mortaliter: similiter si servat Sabbatum, etiam quia Deus hoc præcepit, peccat mortaliter.*

Hoc autem dicere (prosequitur Doctor n. 4.) non videtur aliud, quam pervertere omnes, qui servat commiserunt peccatum mortale, ut nullam bonum opus ex genere postea faciant: ad quod tamen aliàs sunt adstricti; cum tamen suadendi sint, & movendi ad oppositum, ut scilicet faciant bona opera ex genere, quia illa disponunt eos ad gratiam civium & sanctorum obtinendam.

Similiter existens in charitate potest facere aliquod opus præcepti, non tamen motus ex charitate, sed ex pietate & mansuetudine naturali, vel ex aliquo alio non referendo tunc actualiter ad finem ultimum, ita quod ista impleto operis præcepti non esset sibi meritoria, quòd si reveretur servare præceptum secundum intentionem mandantis, ut scilicet per ipsum præceptum finem pertingere, tenetur tunc ad meritum, & tunc peccaret mortaliter faciendo tale opus, quod est bonum ex genere, & ex præcepto: quod est absurdum. Hæc Doctor Subtilis.

Porro quæ Baptismi, eadem est ratio præcepti Communionis: enim verò verba Scripturæ & Ecclesiastici Canonis nihil aliud requirunt, quam ut verè, id est, sacramentaliter manduces Corpus; & bibas Sanguinem Domini, quo modo manducant & bibunt etiam peccatores, teste Tridentino sess. 13. cap. 8. ibi: *Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores. Quamvis enim actualiter ipsis non conferat effectum gratiæ, equidem conferret, si essent dispositi; hoc autem est sacramentaliter manducare, & bibere, nempe realiter sumere species consecratas, quæ quantum est de se, natæ sunt conferre effectum gratiæ sumenti, etsi de facto propter obicem peccati non conferant*

Ex quo patet infidelem, id est, non baptizatum,

minimè satisfacere posse huic præcepto; quia non potest manducare Corpus, & bibere Sanguinem Christi sacramentaliter; quoniam non est magis nata Eucharistia conferre illi gratiam, quam bestia. Idem propter eandem rationem communiter dicitur de homine baptizato, etiam justo, qui planè involuntariè sumeret Sacramentum; quod an verum sit, superius discussimus. Modò

Obijcitur primò contra Conclusionem: Jure divino tenetur peccator Communioni præmittere Confessionem ex Apostolo 1. ad Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ergo præceptum divinum Communionis obligat ad statum gratiæ; ergo etiam præceptum Ecclesiasticum, quod solum est determinatio temporis, quo præceptum divinum est adimplendum.

Resp. Negando primam Consequentiam: nam illis verbis non exprimitur præceptum affirmativum Communionis, sed aliud negativum, id est, naturale Religionis prohibens accedere indignè; contra hoc postremum peccat, qui accedit ad Sacramentum in malo statu, secus contra primum.

Contrà; saltem ex præcepto illo negativo colligimus Communionem præcipi ut verum actum Religionis; non est autem talis nisi perfectè circumstantionatus, id est, ut non solum exterius videatur Deo cultum deferre, quia hæc est religio Pharisæica; sed etiam ut cum interiori reverentia Sacramentum suscipiatur, quæ reverentia longè abest ab eo, qui cum conscientia polluta Sacramentum accipere præsumit.

Resp. solum colligitur illam fuisse intentionem extrinsecam Legislatoris, ad quam nemo obligatur ex vi præcisè præcepti Communionis. Quippe non illa intentio est anima legis, sed intentio intrinseca, id est, quam habet ex vi ipsius formæ legis. Pro quo

Nota duplicem esse intentionem præcipientis; una, quæ vult finem, propter quem præceptum dedit; altera, secundum quam vult subditos obligare: v. g. Princeps aliquis, ut tanto securius possit hostem invadere, præcipit subditis munire suum castrum: subditi munientes castrum satisfaciunt intentioni Principis, secundum quam voluit eos obligare, estò vel ignorent finem munitionis, vel si sciant, nequaquam propter illum operentur.

Ad propositum: licet Deus dando præcepta, & specialiter præceptum Communionis, intendat gratiam sanctificantem, & vitam æternam fideliter ea observantibus tribuendam; non tamen intendit homines ad id intendendum obligare: alioquin juxta doctrinam Scoti supra, qui abstineret à fornicatione propter solam honestatem naturalem, peccaret mortaliter, quod est absurdum.

Præcipit quidem Deus modum charitatis; sed conditionaliter, juxta illud Matth. 19. v. 17.

Infidelis non potest satisfacere præcepto Communionis.

36. Obijcitur prima. 1. Cor. 11.

Responsio.

Instancia;

Solutio. Nemo obligatur ad intentionem extrinsecam Legislatoris.

37.

Intentio gratiæ & vitæ æternæ est extrinseca.

Matth. 19.  
Objectio  
soluitur.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, scilicet ex charitate, siquidem observatio mandatorum sine charitate non est meritoria vitæ æternæ.

Contra; non solum sub conditione effectus, si vis accipere gratiam Sacramenti; sed absolute præcipit Deus dignam sumpcionem Sacramenti. Resp. cum distinctione: præcipit per præceptum affirmativum Communionis, Negro; per præceptum negativum Religionis non faciendi injuriam Sacramento per sacrilegam suscepcionem, Concedo.

38.

Porro hoc præceptum esse duplex, & non unicum, probo exemplo Baptismi, de quo dicitur Matth. ultimo v. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Marc. ultimo v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Aliud est præceptum communicandi, aliud dignè communicandi.

Attamen si sacrilegè suscipitur, impletur præceptum affirmativum suscipiendi Baptismum, ut omnes fatentur, licet suscipiens peccet contra præceptum negativum Religionis non suscipiendi indigne Sacramenta.

Adde, quod in aliquo casu possim, imò teneat communicare sine fructu, v. g. si hostia sacra ab hæreticis est conculcanda, nisi ego existens & permanens in statu peccati mortalis eam consumam. Et quis audeat dicere me tali Communionem non satisfacere præcepto divino & Ecclesiastico? Ergo est aliud præceptum communicandi, aliud communicandi dignè cum effectu gratiæ justificantis.

Probatur.

Quid si enim ad summam gratiam perveniam sine Communionem, num ideo liber eris ab obligatione præcepti? Nequaquam, & tamen si accepero Sacramentum, non causabit gratiam sanctificantem.

39.  
Per sacrilegam Confessionem, si fuerit valida, satisfactio præcepto.

Dices; per sacrilegam Confessionem non satisfactio præcepto divino Confessionis. Resp. omnino satisfactio; si detur Confessio informis valida, de qua proprio loco: tæceroquin disparitas est, quod Confessio sacrilega non sit vera Confessio; adeoque pertinet ille modus ad substantiam actus, levis interna reverentia ad substantiam Communionis.

Urgebis: hoc Sacramentum est cibus animæ; ergo cibatio pertinet ad ejus substantiam, ergo sicuti non satisfacit præcepto sumendi cibum corporalem, qui eo modo sumit, quo non potest prodesse; ita etiam non satisfacit præcepto sumendi cibum spirituales, qui eo modo accipit, quo non potest prodesse, sed obesse.

Differentia inter præcepta sumendi cibum corporalem & spirituales.

Resp. Negando utramque Consequentiam; priorem quidem, quia ad rationem cibi sufficit, quod possit cibare si reliqua adsint: posteriorem verò, quoniam præceptum sumendi cibum corporalem, est formaliter præceptum sustentandi vitam: quod patet, quia si alio modo posset sustentare, non teneretur sumere. Porro præceptum spiritualis cibi obligat etiam eum

qui per revelationem sciret absque Communionem vitam spiritualem conservandam fore, & augendam.

Si ergo à me queritur, quomodo prædicta verba Decreti, nimirum, *suscepit reverenter*, sint intelligenda? Respondeo de reverentia externa: vel si de interna. solum continent consilium & monitionem, fidelibusque revocant in memoriam jus divinum Religionis, quod præcipit sancta sanctè & reverenter tractari.

Si enim voluisset Ecclesia præcipere reverentiam internam jure divino naturali requisitam ad obtinendum Eucharistiæ effectum (ut omnem, quod non possit præcipere actus merè internos, qui ad substantiam actus externi, vel saltem quatenus est certæ speciei moralis, minime sunt necessarii, prout communis docetur in Tract. de Legibus) in vanum certè constituisset penas ferendæ lententiæ, id est, per judicem infligendæ, cum iudex in foro externo non possit judicare de occultis, argumento cap. unici, Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, ibi: *Quoniam etsi locum Dei teneamus in terris, non tamen de occultis potuimus divinare.*

Idem legitur scripsisse Stephanus V. Humberto Episcopo Moguntino, & refertur 2. q. 5. cap. 20. ibi: *Spontaneâ enim Confessione, vel re ipsa approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò & incognita illis sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.*

Hinc Concilium Tridentinum sess. 24. in decreto de reformatione Matrimonii cap. 1. Cui, inquit, malo (scilicet adulterio occulto) cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurrere non possit &c.

Ex quibus iuribus aliqui inferunt, Ecclesiam, etsi voluisset, non potuisse præcipere reverentiam internam necessariam ad effectum Eucharistiæ, sicuti non potuit præcipere, adeoque non censetur præcepisse, dispositionem necessariam ad effectum Sacramenti Penitentia.

Sed, salvo meliori, illa jura hoc nullatenus probant: nam clarissimum est, quod loquantur de foro externo; agunt siquidem de peccatis externis per accidens occultis, de quibus Ecclesiam in foro interno iudicare, nemo Catholicus potest dubitare.

Quidquid ergo sit de potestate Ecclesie, quam aliqui probabiliter ipsi adscribunt, etiam in actus merè internos pro foro conscientia, clarum est ex pœna adjuncta, Ecclesiam in præfati decreto illa potestate non fuisse usam.

Nec obstat; quod hodie in quibusdam Ecclesiis imponatur pœna lætæ sententiæ, excommunicatio, vel alia quæcumque; quia est lætæ pœnalis, quæ non obligat ad actum, sed supponit actum aliunde prohibitum vel præceptum.

Ad

Ad summum itaque præcipit Ecclesia reventiam externam, aut cerè internam, quâ Christum recognoscamus præsentem; quæ effi præcepta foret, potest cum insufficienti dispo- sitione ad effectum Eucharistiæ, adeoque cum Communionis sacrilega, consistere; sicut con- stitutus in malo statu potest reverenter cum Deo loqui.

Sic itaque explicatâ tertiâ parte Decretû, progredior ad quartam & quintam, quæ par- vam, vel nullam habent controversiam; & ideo breviter expono incipientes ab ultima, quæ im- ponit penam non servantibus præceptum. Communionis his verbis: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus Ecclesiasticâ careat sepultura.* Constat autem: apud omnes hanc penam esse ferendam sententiæ, & ideo ad eam transgressor non obligatur, antequam per judicem infligatur.

Restat pars quarta; *Nisi forte*, inquit Pon- tificex, *de proprii Sacerdotis consilio, ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Circa quam quaeritur: Quis sit iste proprius Sacerdos? Resp. omnis, qui eo tempore potest Confessio- nem excipere, sive potestate ordinariâ, ut sunt illi, qui ex officio habent curam animarum; sive ex delegatione Pontificis, ut Religiosi Mendicantes; sive ex speciali licentiâ Episcopi vel Parochi, ut reliqui Confessarii ad Confessio- nes audiendas tempore Paschatis peculiariter ab Ordinariis deputati.

Ratio est; quia consilium differendi Com- munionem sæpe sumendum est ex conscientia penitentis; ut g. quia Confessio generalis est præmittenda; penitens ad perfectiorem dolo- rem disponendus &c. Ergo qui delegat pote- statem absolvendi, eo ipso etiam censetur dele- gare potestatem Communionem differendi, prudenter expensis impedimentis & causis ab- stinendi pro isto tempore. Et ita habet praxis communis, quæ idem declarat circa parvulorum Communionem inchoandam, vel absolute dif- ferendam.

An autem illi, qui Communionem differunt, ex consilio Confessarii, teneantur postea com- municare, jam ante resolutum fuit pro parte affirmativa.

Dices; Sacerdos aufert ab illis obligationem communicandi hoc anno: ergo non tenentur sequenti anno bis communicare, semel pro anno præterito, & semel pro præsentis. Consequen- tia tenet: quia non tenentur hoc anno bis communicare, nisi quia tenebantur præcedenti anno semel; at tunc non tenebantur ob Sacer- dotis dispensationem, ut ponimus: ergo &c. Ita illi, qui annum computant à Paschate in Pascha; quamvis etiam similis obiectio in alia computatione locum habeat.

Resp. ergo, suppositum esse falsum: non enim Confessarius dispensat cum illo, seu non tollit; sed differt, aut commutat obligationem

communicandi pro hoc anno, in obligationem communicandi altero anno. Nec enim potest præceptum Superioris immutare absque speciali commissione, quæ neque ex hoc loco, neque ex aliis iuribus factis colligitur ad dispensandum, bene ad differendum vel commutandum.

Sed numquid ex his verbis rectè colligitur teneri fideles Communionem Paschalem apud proprios Pastores implere, vel alibi de eorum licentiâ? Non puto quòd efficaciter, præcisè ex vi verborum; nam longè diversa sunt com- municare ex manu proprii Sacerdotis, & Com- munionem differre ex consilio proprii Sacerdo- tis: potuisset sanè Ecclesia rationabiliter velle unum, & non alterum, potuisset, inquam, ra- tionabiliter committere unicuique Sacerdoti administrationem Eucharistiæ; dilationem au- tem, utpote quæ non debeat fieri nisi ex justa causa, reservare iudicio proprii Sacerdotis, tamquam magis idonei ad causam illam digno- scendam.

Interim communis praxis & sensus fide- lium, nec non variæ declarationes Pontifi- cum, qui in privilegiis Regularium faciunt exceptionem Communionis Paschalis, ita vi- dentur hanc legem interpretari. De quo infra, ubi de Ministro Eucharistiæ.

His ita de Communionem Paschali constitutis, restat dubitatio; an extra tempus Paschale, omnes vel aliqui fideles obligentur præcepto Ecclesiastico ad sæpius communicandum? Pro negante dubii parte facit, quòd si alia extarent tempora Communionis, id debuisset Ecclesia in verbis prædictæ legis declarare, ne daretur fide- libus occasio errandi.

Nihilominus cum communi sententia dico:

CONCLUSIO V.

Omnes Fideles præcepto Ecclesia- stico tenentur communicare in articulo mortis.

Articulus mortis à periculo mortis pro- priè in hoc distinguitur, quòd articulus mortis importat statum disponentem ex natura sua, & per se ad mortem, ut cum valetudo à medicis ita desperata est, ut illorum iudicio paulò post mortem sit allatura. Periculum verò dicitur status, qui etsi naturâ suâ & per se ad mortem non disponat, tamen per accidens ra- tione circumstantiarum, quæ proximè mortem inferre possunt, talis est, ut frequenter cum mors subsequatur: tale periculum est; cum imminet prælium, naufragium, partus diffi- lis &c.

Equidem Auctores plerumque periculum mortis cum articulo confundunt; quòd & jus- facit; nam cap. *Eos qui. 22. de Sententia Ex-*

munitionem non dicitur. fat. sed communit.

45. An Com- munionem Pas- chalis, dan- da sit a propriis Parochis.

46. Articulus mortis à periculo eiusdem di- stinguitur.

quamquam secundum Auctores plerumque

confundantur. communicationis in 6. articulo mortis dicitur, quod paulò post periculum vocatur, ibi: *Eos qui à sententia Canonis, vel hominis (cùm ad illum à quo aliàs de iure fuerant absolventi, nequeunt propter imminenti mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolventur: si cessante postea periculo, vel impedimento &c.*

Cap. Si quis suadente Diabolo. 17. 4. 4. Similiter 17. qu. 4. cap. 29. *Si quis suadente Diabolo, post reservatione excommunicationis excipitur periculum mortis ibi: Nisi mortis urgente periculo, cuius exceptionis fit mentio in cap. Non dubium, 5. de Sententia Excom. ibique appellatur articulus mortis: Nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice absolutionis possit beneficium impetrare.* Ratio est; quia, quoad moralem estimationem, periculum & eventus periculi pro eodem reputantur.

47. Probatio Conclus. & solutio argumenti in contrarium. Hoc ergo supposito, Conclusio patet ex dictis præcedenti Sectione Conclus. 7. Neque argumentum pro negante dubitationis parte contrarium probat; quia Concilium Lateranense non dicit, quòd tantum semel, sed quòd *saltem semel in Pascha*, id est, effi aliunde non obligaretur aliis temporibus communicare, quod ex aliis legibus, votis, & institutis hominum est petendum.

Deinde dico voluisse Ecclesiam ferre generalis Communionis legem pro omnibus fidelibus tam infirmis, quàm sanis; & hoc titulo communitatis fidelium nemo tenetur aliàs, quàm in Paschate communicare.

Enimverò etsi nullum jus scriptum extaret, consuetudo communicandi morientes adeò est recepta, ut sine gravi scandalo non possit violari; quod est signum gravis obligationis, quam etiam agnoscit communis sensus Doctorum & fidelium.

Hinc non est audiendus Caietanus verbo Communio, ubi sic scribit: Utrum autem in mortis articulo teneatur fidelis quisque communicare, in dubium non est vertendum, quoniam consuetudo Ecclesie hoc mandat, & procul dubio peccat, qui sine rationabili causa absque Viatico recedit. Si tamen contemptus desit, non video rationem peccati mortalis in huiusmodi omissione, ex quo Paschalem Communionem implevit. Idem docet Sylvester verbo Eucharistia 3. in principio. Et sequitur Ema. Sa verbo Eucharistia n. 1.

48. Pro peccato veniali male citatur D. Bonaventura, Diana, D. Bonar. Pro hac etiam opinione, ut puto paradoxa, quia contra torrentem Doctorum sine sufficiente fundamento citat Diana 3. parte tract. 4. resol. 40. D. Bonaventuram in 4. dist. 10. art. 3. q. 1. (debet esse dist. 12. a. 2. q. 1.) sed perperam ut ostendo ex ejus verbis: *Dicendum quòd Sacramentum hoc non est de necessitate, quantum est de sua institutione, sed si est, hoc est ex assumpto officio & mandato superaddito.*

Et explicans istud mandatum: *Quòd, inquit, instituit Ecclesia, ut fideles semel communi-*

carent in anno, & in morte. Unde si quis negligit, non est sine contemptu: ideo peccat mortaliter. Hæc Doctor Seraphicus, æquà lance, ut vides, de Communionem in Paschate, & in morte.

Unico verbo, docet semper adesse contemptum tanti Sacramenti, quando ex negligentia, id est, sine iusta causa omittitur, & ideo tunc semper est peccatum mortale, quæ est communis sententia.

Profectò non video, cur minus obliget Communio in articulo mortis, quàm jejuniu, auditio Missæ, lectio Horarum Canoniarum, & similia, quæ tantum sunt necessaria ex præcepto Ecclesie. Sive enim spectes materiam præcepti, sive finem, liquet manifestè Communionem in articulo mortis esse materiam notabilem, imò notabiliorem, quàm jejuniu, auditio Missæ, & similia, non solum secundum se; sed etiam ratione finis, qui est consolatio & vigor spiritus in illa omnium terribilium terribilissimâ necessitate moriendi, quam hoc Sacramentum tribuit. Quid simile præstat jejuniu, vel auditio Missæ?

Et quid amplius confert Communio in Paschate, ut hæc sit materia notabilis; secus autem Communio in articulo mortis? Igitur vel nunquam pecco mortaliter contra legem humanam, si desit formalis contemptus (quod, post hæc scripta, ut minimum tamquam scandalosum ab Alex. VII. Summo Pontifice damnatum & prohibitum fuit) vel certè pecco mortaliter, quando ex mera negligentia omitto communicare in articulo mortis.

Quidni etiam in periculo mortis? Certè ex fine legis rectè colligitur mens legis: constat autem finem seu effectum Communionis pariter locum habere in periculo mortis; estò distingueretur ab articulo mortis.

Ex quo colligo 1. milites inuitos periculosum conflictum, item eos, qui inuiti periculosam navigationem, similiter lethaliter vulneratos, mulieres proximas difficili partui, damnatos ad mortem &c. graviter obligati ad communicandum.

Unde iudex, ut diximus sectione præcedenti conclus. 7. obligatur reo dare tempus disponendi se ad communicandum, ut patet ex cap. Super eo. 4. de Hæreticis in 6. ubi Alexander VI. qui multis annis præcessit Pium V. præcipit dari Eucharistiam Hæreticis traditis brachio seculari, si sufficientia signa penitentiae dederint: *Nos, inquit Pontifex, inquisitioni vestre de fratribus nostrorum consilio respondemus, quòd taliter deprehensis, etiam si (ut dictum est) sine ulla penitus audientia relinquendi sint iudicio seculari; si tamen postmodum peniteant, & penitentia signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt humiliter petita Sacramenta Penitentie & Eucharistia deneganda.*

Idem antè constitutum fuerat cap. 30. 13. q. 2. de iis etiam, qui ob alia delicta erant ex-

Communio in mortis articulo est præcepta sub mortali.

Caietanus. Sylvester. Ema. Sa.

48. Pro peccato veniali male citatur D. Bonaventura, Diana, D. Bonar.

remo supplicio afficiendi. Si omnibus, inquit Concilium Moguntinense II. sub Rabano cap. 27. de peccatis suis penam confessionem agentibus, & dignè penitentibus Communo in fine secundum canonem iussim danda est; cur non eis, qui pro peccatis suis penam extremam persequuntur? Colligo secundò, & erit

CONCLUSIO VI.

Qui paucis antè diebus nihil minus cogitans quàm de morte, communicavit ex devotione, non tenetur accipere aliud Viaticum.

Ratio principalis est, quia talis communicavit in articulo, vel periculo mortis; siquidè articulus mortis non sic computandus est, quasi Eucharistia debeat sumi immediatè ante mortem: sic quippe executio hujus præcepti frequenter esset impossibilis, & qui hodie manè sanus communicasset, si à prandio subito incureret periculum mortis, teneretur iterum communicare, quod nemo rectè dixerit. Sufficit ergo quòd ita communicetur, ut satisfiat fini legis; finis autem est, ut dixi præcedenti Conclusionè, vegetatio seu vigor spiritus in hora mortis, qui vigor facillè retinetur per octo vel decem dies.

Hanc sententiam tenet Suarius disput. 69. sect. 3. §. Rogabis: consilium tamen, & meritò, iteratam Communionem, etiam si tempus interceptum breve sit, v. g. præcedentis diei: nam tunc licitum est per modum Viatici iterum communicare, etiam post cibum & potum, quia Ecclesia non limitavit hanc facultatem ad eos, qui antè longum vel breve tempus non communicaverunt, sed simpliciter illam concessit omnibus; qui Viaticum non acceperunt; in dicto autem casu propriè & formaliter non accepit homo Eucharistiam per modum Viatici. Plus dico: tametsi formaliter accepisset Viaticum, sola utilitas Communionis in articulo mortis exculat à lege jejuniè, de quo infra proprio loco.

Nihilominus oppositum Conclusionis docet Valquez disp. 214. cap. 2. n. 13, dicens: Ego solum in ipso articulo mortis, inchoatà jam ægritudine, hujus præcepti obligationem ita incipere censeo, ut intra illud tempus solum ei satisfieri possit. Rationes quas addert, nullius sunt momenti, & ex jam dictis facillè solvuntur.

Primum, inquit, quia si semel admittamus, ante articulum mortis huic obligationi fieri possit satisfactio, non posset assignari ratio, ob quam potius sufficiat pridie, quàm ante duos, aut plures dies ei satisfieri. Respondeo, rationem esse, quia non pro quolibet tempore censetur quis retinere fructum Communionis, quatenus eo indiget pro articulo mortis.

Sed contra: ergo poterit aliquis in eodem infirmitatis statu obligari ad sæpius communicandum. Consequens videtur falsum; quia Sacramentum Extremæ Unctionis, quod etiam ordinatur ad subsidium infirmi, non potest iteratò suscipi, nisi mutato infirmitatis statu. Consequentia tenet; quia potest infirmitas mortalis tam longo tempore durare, ut Communio, quæ hodie v. g. fit, non censeatur sufficienter vegetare infirmum post unum, aut duos menses: ergo ad hunc finem consequendum tenetur iterum communicare.

Resp. primò Negando Subsumptum. Ad ejus probationem nego Consequentiam: disparitas quippe inter Communionem & Unctionem est voluntas instituentis, quæ nobis innoscit ex praxi Ecclesiæ, quæ non permittit mortuis quamdiu perseverat idem morbi status iteratam Unctionem; bene tamen iteratam Viatici sumptionem. Ratio verò congruentiæ reddi potest, quòd Sacramentum Unctionis solummodò institutum sit ad alleviandum in extrema infirmitate hominem; & ideo ratione hujus significationis, manente eadem infirmitate extremà, non debet iterari: Sacramentum autem Eucharistiæ ad nutriendum hominem, sive illo nutrimento indigeat homo pro ultima debilitate, sive aliàs.

Hinc quoties indigere censeatur homo hoc nutrimento, potest illud iterum suscipere. Et quia maximè illo indiget imminente ultimo certamine, voluit Ecclesia suo præcepto ad hoc inducere homines, ut paulò ante mortem communicent. Quantum verò futurum sit illud tempus, prudenti arbitrio videtur relinquendum, ut si v. g. octo aut decem dierum esse censeatur, inquit Suarez supra.

Resp. secundò Negando primam Consequentiam; quia quamvis ad præcepti impletionem sufficiat ita facere, quòd præceptum est, ut satisfiat fini legis; tamen ad præcepti inductionem non sufficit finis legis, sed insuper requiritur voluntas Legislatoris, idque externa. Proinde tametsi, durante diutius articulo mortis, iterum possit occurrere ratio communicandi, non tamen id sub obligationem cadit; cum lex non præcipiat: solum enim simpliciter ait, in articulo mortis communicandum, quòd unà Communionem satis impletur.

Hinc patet, quid respondendum sit ad hanc Consequentiam: ergo qui hodie in articulo mortis sacrilegè communicavit, vel post sacram Communionem peccavit mortaliter, tenetur rursus communicare, quia vel nullum fructum Sacramenti percepit, vel certè perceptum fructum per peccatum perdidit. Patet, inquam, Consequentiam esse negandam: quia licet ex fine Legislatoris sæpius colligamus mentem legis, tamen lex ad illum finem non obligat, ut superius latius declaravi, & praxis in his casibus satis declarat.

Aliud

An aliquis in eodem infirmitatis statu possit obligari ad iteratam Communionem

53

Ad præcepti inductionem non sufficit finis legis.

54. Qui in articulo mortis sacrilegè communicavit, non tenetur rursus communicare.

Aliud est de Sacramento Pœnitentiæ, utpote obligante pro reconciliatione cum Deo, & primâ gratiâ consequendâ, quæ est necessaria ad salutem; ideoque si ea per peccatum est amissa, iterum obligatio illius Sacramenti reviviscit.

55. Ergo prima probatio Vasquezii parvi ponderis. Nec minùs levis secunda. Deinde, inquit, eadem sententia probatur; quia si quis constitutus in ægitudine, jam sentiret mortis periculum, justè posset Sacramentum non jejuni accipere, etiamsi præcedenti die bene valens illud accepisset, quis hoc neget? Nemo Vasquez. Sed quid tum? Atqui, subsumis, nemo excusatur à præcepto jejuni præmittendi ante Eucharistiam, nisi ratione alterius præcepti, quod magis strictè obligat. Nego subsumptum; sed sufficit in illo articulo sola utilitas Communionis, ut suprà dixi & infra latius declarabo.

Lugo. Bene advertit Lugo disp. 16. nu. 42. illud argumentum facile retorqueri posse; quoniam ex eo sequitur, ægrotum, qui in eadem infirmitate lapsus communicavit ex devotione, non posse jam morti proximum accipere Viaticum absque jejuniis: nam multò antè, & forè ab initio incipit morbus esse periculosus; & secundùm Vasquezium, qualibet Communionis accepta, postquam cepit periculum, satisfacit præcepto, etiamsi fiat absque intentione Viatici: & tamen praxis omnium Religiosorum, quam non potuit hic Auctor ignorare, est in contrarium.

\*6. Quid dicam de tertia probatione? Postremò, ait Vasquez, inauditum est præceptum aliquod servari & impleri per opus aliquod ante tempus obligationis: quomodo igitur per Communionem extra articulum mortis satisfieri potest præcepto, quod solum in ipso articulo obligat?

Adducuntur multi casus, in quibus Lugo putat id fieri; Ad label. Tandem hinc probationem Lugo suprà n. 39. multas adducit instantias, in quibus videtur satisfieri præcepto per opus factum ante obligationem. Prima est illius, qui post recitatum divinum Officium ex devotione, suscipit Ordinem Sacrum, vel proficitur in Religione approbata. Secunda Sacerdotis, qui manè facit Sacrum, & postea pergit ad alium locum, in quo est præceptum audiendi Missam propter Festum illius loci. Tertia Pensionarii, qui habens obligationem recitandi Officium parvum B. Martæ, loco illius recitavit Officium majus, quo recitato accipit beneficium Ecclesiasticum. Quarta Beneficiarii, qui post Officium recitatum accipit secundum beneficium obligans ad Officium. Quinta Subdiaconi, qui post Horas persolutas ordinatur Diaconus; & Diaconi, qui ordinatur Sacerdos. In his omnibus casibus putat Cardinalis secundùm communem sensum fidelium satisfieri obligationi audiendi Missam, vel recitandi divinum Officium, antequam obligatio existat.

Quidquid sit de veritate istorum casuum; sed non nam primus & tertius à multis reprobantur; ad alios autem responderi posset consuetudinem sic interpretari mentem Ecclesiæ. Prout etiam ex privilegio, qui vesperi legit Matutinas sequentis diei, satisfacit obligationi pro tunc nondum existenti, & ex voluntate creditoris, qui debet v. g. centum florenos primâ die Maii, anticipatè potest solvere: nisi malueris dicere, diem sequentem pro Horis nocturnis incipere Ecclesiasticè ab occasu solis; anticipatam autem solutionem extinguere debitum pecuniarium, quia die occurrente jam invenitur æqualitas inter datum & acceptum; perinde enim est primâ die Maii habere in bonis suis centum florenos, atque illos tunc primùm accipere, sicuti fur retinens bona aliena, censetur moraliter illa accipere.

Igitur quidquid sit de his casibus: Respondeo ad tertiam probationem Vasquezii, Communionem, de qua impræsentiarum, non exhiberi ante tempus obligationis, id est, extra articulum vel periculum mortis, sed in ipso articulo vel periculo; hoc est, in tali statu hominis, quem post paucos dies sequetur mors, est homo hoc ignoret. Enim verò intentio Ecclesiæ est obligare hominem, ut non moriatur absque Eucharistia proximè accepta; illa autem obligatio erat, quando suscepit Communionem, etsi eam homo ignoraret & de ea nihil cogitaret.

Constat enim: quia si quis ex revelatione divina sciret se cras subitò moriturum, teneretur jam communicare. Quidni, cum reus teneretur, qui licet se moriturum ex sententia iudicis? Ergo antequam morbus incipiat, est obligatio, licet propter nostram ignorantiam excusetur; adeoque Communionis reipla, licet non ex intentione communicantis, facta sit intrâ tempus, quo jam obligabat; præceptum enim, ut statim dixi, solum est de Communionem paulò ante mortem præmittenda.

Dices; si non intendit satisfacere præcepto: ergo non satisfecit. Resp. Negando Consequentiam: quippe, ut communiter docetur in Tract. de Legibus, etiam cum contraria voluntate potest satisfieri præcepto, dummodò actus præceptus sit rationali & liberâ voluntate; quia in potestate observantis legem non est, obligationem illius prorogare, aut postquam fecit id, quod lege præcipitur, eam imposterùm iterum implendam reservare.

Dices rursum: ergo qui sciret instare morbum periculosum, deberet statim communicare. Resp. Negando Consequentiam: quia sufficit quòd communicet ante mortem; jam autem in ipso morbo adhuc poterit communicare. Sicuti licet satisfieri possit obligationi legendi Horas Canonicas primâ horâ diei, equidem satis est si legantur horâ duodecimâ, sive ultimâ. Similiter quamvis satisfieri possit obli-

In articulo mortis sola utilitas Communionis excusat à præcepto jejuni.

Lugo.

\*6. An possit satisfieri præcepto, antequam obliget?

Adducuntur multi casus, in quibus Lugo putat id fieri;

obligationi audiendi Missam horâ 6. quis tamen dicat illum peccare, qui differt audicionem usque ad horam undecimam?

Cæterum qui prævidet impedimentum communicandi tempore agridudinis, teneatur prævenire intrâ illud tempus, quod moraliter æstimatur tempus mortis; sicut obligatus audire Missam, teneatur prævenire horam undecimam, si in illa prævidet impedimentum.

Et sicuti qui omisit audire Sacrum die Dominicâ, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non teneatur illud audire die Lunæ; quia res præcepta amplius non existit, ita qui non communicavit in articulo mortis, sive bonâ, sive malâ fide, eo transacto, amplius non obligatur quia obligatio illa tantum erat pro articulo isto necessitatis; quo proinde cessante, cessat etiam præceptum.

Petes; an qui hodie manè communicavit ex devotione, nesciens se esse proximum morti, possit post meridiem, agnito mortis periculo, accipere Viaticum? Responsio communis est:

CONCLUSIO VII.

Qui manè communicavit ex devotione, non potest eadem die post meridiem accipere Viaticum.

Intelligo Conclusionem, sive communicaverit manè bene valens, sive infirmus. Illam expressis verbis docet Suarius disp. 69. sect. 3. §. Rogabis, in fine: At verò, intrâ eundem diem non est hæc licentia danda; quia non solum non est in usu, sed etiam iterata Communio intrâ eundem diem est simpliciter ab Ecclesia prohibita. Hæc ille.

Addit Lugo supra p. 51. se non invenisse ullum Auctorem, qui oppositam sententiam typis mandaverit; solum invenio, inquit, ter, vel quater fuisse in diversis locis ad praxim deductam in totidem casibus. Sed reverà quod semel, aut iterum in repentinis casibus fit, non æquivalet auctoritati eorum, qui accuratè de re cogitantes scribunt: facili enim fieri potest, ut in subita illa turbatione non occurrant rationes omnes, & ideo eligatur id, quod tutius & utilius existimatur animæ ægroti. Hæc ille.

Ratio autem communis sententiæ est prohibitio Ecclesiæ communicandi bis eadem die, quæ, cum sit inducta in Sacramenti reverentiam, non videtur cessare, nisi quando secunda Communio est necessaria ad impediendam irreverentiam Sacramento inferendam; ut, ne ab

Hæreticis conculcetur, ne Sanguis effusus in terram maneat, si sacrificans, qui effudit, non possit, vel nolit lambere.

Contra; etiam lex jejunii inducta est in Sacramenti reverentiam, & tamen cessat ubi nullum est periculum irreverentiæ, v. g. in periculo mortis. Resp. ex mera benignitate Ecclesiæ, quæ constat ex communi praxi & consuetudine, quæ consuetudo non habetur in nostro casu.

Contra II. per Communionem matutinam non fuit satisfactum præcepto divino, aut saltem Ecclesiastico accipiendi Viaticum: ergo &c. Resp. vel hoc præceptum prævalet alteri, vel non: si primum, ergo non tantum potest, sed etiam debet accipere post meridiem aliud Viaticum; quod non solum contra omnes Doctores, inquit Suarius supra, sed etiam contra Ecclesiæ consuetudinem esse videtur.

Sin verò non prævalet, liquet profectò non posse accipere; adeoque hujusmodi moribundum excusari ab impletione præcepti, etiam divini, si tale est (quod non puto) utique propter impossibilitatem non physicam, sed moralem; eodem modo, quo ille excusatur, cui deest copia Sacramenti, nisi Sacerdos celebret sine vestibus sacris.

Resp. II. Negando Antecedens. Patet ex Conclusionem præcedenti, quæ manifestè inferat Conclusionem præsentem, nisi quis præsumere velit de benignitate Ecclesiæ, quòd sicuti ob solam utilitatem Communionis in extremo vitæ periculo dispensat in lege jejunii; ita ob eandem utilitatem dispense in prohibitione bis communicandi eodem die.

Quæ sanè præsumptio si nititur veritate, jam licitum erit & congruum in tali casu bis communicare, licet non obligatorium. Quod videtur sensisse Sanctus Vincentius Ferrerius Serm. 2. de Assumptione B. Virginis, ubi sic ait: Secundus dies est Communio: etiamsi illâ die celebraverit, adhuc est communicandum; hoc est tamen non ex necessitate faciendum, sed congruitate.

Cæterum Doctores Scholastici, qui videntur docere oppositum nostræ Conclusionis, quos citat, & sequitur Diana 4. parte tract. 4. resol. 197. & 5. parte tract. 3. resol. 33. denique 6. parte tract. 6. resol. 18. Omnes supponunt secundam Communionem esse necessariam ex præcepto divino, vel saltem Ecclesiastico accipiendi Viaticum.

Certè si Valquez subscripsit huic sententiæ (ut testatur Gaspar Hurtado de Sacramentis disp. 10. de Eucharistia diff. 2. quod etiam mihi satis constat, inquit Dicastillo disp. 10. nu. 41.) non aliter potuit illam intellexisse, cum supra, ut vidimus, expressè doceat neminem excusari à præcepto jejunii præmittendi ante Eucharistiam, nisi ratione alterius præcepti, quod magis strictè obligat: quomodo

P P ergo

61. Prima ob- jectio.

Solvitur.

Secunda ob- jectio.

Solvitur primo.

Suarium

Solvitur se- cundo.

S. Vincent. Ferrerius.

62.

Diana.

Valquez, Hurtado, Doctores, qui contra- rium senti- unt, sup- ponunt se- cundam Com- munionem esse neces- sariam.

59. Qui prævi- det impe- dimentum tempore mortis, teneatur prævenire

60. Qui manè communicavit ex devotione, non potest eadem die post meridiem accipere Viaticum.

Lugo.

Ratio autem communis sententiæ est prohibitio Ecclesiæ communicandi bis eadem die, quæ, cum sit inducta in Sacramenti reverentiam, non videtur cessare, nisi quando secunda Communio est necessaria ad impediendam irreverentiam Sacramento inferendam; ut, ne ab

ergo excusaretur à præcepto non communi-  
candi bis in die, nisi ratione alterius præcepti  
strictius obligantis?

Dicastillo.

Quare Dicastillo, quamvis nu. 56. asserat  
tutum esse in conscientia pro Viatico com-  
municare, etiamsi eadem die quis communi-  
caverit, aut celebraverit bene valens; idque  
propter auctoritatem Doctorum, tum qui illam  
sententiam impulerunt; tum qui ad praxim saltem  
probabilem deduxerunt, sciente Ecclesia, &  
cum commodè posset, non contradicente:  
tamen (inquit num. 57.) si quis egrotus  
communicasset illà die pro sua devotione,  
etiamsi postea inciperet ex eodem morbo peius  
valere, & censeri positus in articulo mortis,  
non ita probabile putaverim, posse illi dari  
secundam Communionem illà die. Ita etiam  
Lugo disp. 16. num. 53. qui rectè advertit,  
impossibile esse, ut morbus ille qui hodie ducit  
ad mortem, non esset hoc manè periculo-  
sus, quantumvis ejus periculum non agnosceretur;  
atque adeò & accepti Sacramentum in articulo  
mortis, & non videntur Auctores in eo casu  
locuti, ut pro eo casu censeatur ab Ecclesia  
tolerata, aut permissa sententia; ut inde  
ducamus argumentum probabilitatis. Haec  
tenus Dicastillo.

Lugo.

63.

Unde qui-

dam non

rectè in the-

sibus defen-

dit, secun-

dum Commu-

nionem sin-

gulariter &

licitam pro-

pter aucto-

ritatem il-

lorum Do-

ctorum.

Ex quo facile colliges, an satis fundatè  
non nemo Theologus ante aliquot annos  
has duas theses simul propugnandas assumpserit:  
Prima: *Qui citra omne mortis periculum  
communicavit mane, non debet iterum post me-*  
*ridiem, si tunc periculum mortis ingruat, com-*  
*municare per modum Viatici: Altera erat: Pa-*  
*uci quis saepius in eadem aegritudine non renuus*  
*communicare, & qui mane nullo dnm existente*  
*mortis periculo communicavit, potest denuò etiam*  
*non renuus si periculum eodem die ingruat.*

Me autem inquirentis disputationis causà,  
quo fundamento. Respondit: quia præclari  
Auctores ita docent, scientes, & non contra-  
dicente Ecclesia. Rursum interrogavi, qui  
essent illi præclari Auctores, qui docerent li-  
citam esse secundam Communionem, nec ta-  
men obligatoriam. Neminem nominavit,  
credo, quia neminem scivit; sed dixit: ali-  
quos inveniri, causantes Communionem se-  
cundam licere; alios verò, dicentes illam non  
obligare, & hoc scire Ecclesiam.

Argumentum subtile à divinis ad conjuncta:  
Ecclesia scit, quòd Suarez doceat secundam  
Communionem non esse obligatoriam; &  
etiam scit, quòd Vasquez teneat, secundam  
Communionem in eodem die esse licitam:  
ergo Ecclesia scit, quòd aliqui præclari Au-  
ctores doceant, secundam Communionem in  
eodem die esse licitam, juxta ac liberam. Et  
qui sunt isti? Nec Vasquez, nec Suarez, nec  
Lugo, nec Dicastillo, nec Diana, & sic de cae-  
teris, uno excepto Vincentio Ferrerio, in quo

Dices: Sacerdos potest bis eadem die cel-  
ebrare si sit jejunos ad dandum Viaticum, ta-  
meti non obligetur: ergo etiam infirmus bis  
communicare.

Resp. Negando Consequentiam: Nam Sa-  
cerdoti etiam tertio licet celebrare in Natali  
Domini, non ideo tamen licet laico tertio  
communicare. Et in multis casibus potest Sacer-  
dos binare, trinare &c. ex concessione Eccle-  
siae; ubi tamen laicis numquam conceditur  
multiplex Communio, nisi ad vitandam irre-  
verentiam Sacramenti, & fortè in casu, de quo  
jam disputamus. Ratio ergo disparitatis est con-  
cessio Ecclesiae.

Quæris fortè, quare potius Ecclesia unum  
concedat quàm aliud? Responso in promptu  
est; quia secunda celebratio est necessaria, ut  
infirmus impleat præceptum Communionis in  
articulo mortis, secus secunda Communio in-  
firmi, ut suppono.

Ceterum quoniam prohibitio pluries com-  
municandi eadem die est lex Ecclesiastica,  
contraria consuetudine legitime præscripta po-  
terit, vel in totum, vel secundum aliquam  
partem aboleri. Et si quando constitit de  
hujusmodi consuetudine in casu Conclusionis,  
ex nunc in eam consentio.

Atque ex his sit impositus finis huic Se-  
ctioni; nam præter tempus Paschale & mor-  
tis articulum, non tenentur fideles com-  
muni Ecclesiae præcepto aliis temporibus  
communicare. De obligatione particularium  
personarum ipsi viderint. Solum addo con-  
sulendam esse hominibus frequentiore Commu-  
nionem, propter incredibilem hujus Sa-  
cramenti vim ad extinguendum affectum  
vitiarum & celestium rerum sensum indu-  
cendum.

Testem advoce Sanctam Synodum Tri-  
dentinam quæ sess. 13. cap. 8. Paterno affectu  
admonet, hortatur, rogat, & obsecrat per vi-  
scera misericordiae Dei nostri ut omnes & sin-  
guli, qui Christiano nomine censentur, in hoc  
unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc  
concordiae simbolo iam tandem aliquando con-  
cordent, & concordent, memorisque tanta ma-  
estatis, & tam eximii amoris Iesu Christi Domini  
nostri, qui dilectam animam suam in nostra sa-  
lute pretium, & carnem suam nobis dedit ad  
manducandum; hæc sacra mysteria Corporis &  
Sanguinis eius eâ fidei constantia, & firmitate, eâ  
anmi devotione, ac pietate, & cultu credant, & ve-  
nerentur ut panem illum substantialiter frequenter  
suscipere possint, & is verè eis sit anima vita, &  
perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati,  
ex huius misera peregrinationis itinere, ad caelestem  
patriam pervenire valeant.

Igitur sancta Synodus admonet, hortatur,  
rogat, & obsecrat omnes & singulos fideles,  
non simpliciter ut frequenter communicent;  
sed ut eâ fidei constantia & firmitate, eâ animi  
devo-

devotione, ac pietate, & cultu credant, & venerentur hoc Augustissimum Sacramentum, ut frequenter illud suscipere possint; non Sacramentum tantum, sed etiam rem & fructum Sacramenti. Quæ sit autem ista animi devotio

ac pietas, relinquatur iudicio prudentis Confessarii, & facile colligi poterit ex iis, quæ sequenti Sectione edissero de preparatione animi necessaria, ut quis dignè sacram Eucharistiam percipiat.

## SECTIO DECIMA.

### De Dispositione spirituali susipientis.

**S**I non deceat (auditis Concl. Trident. sess. 13. cap. 7. in principio) ad sacras nullas functiones quæpiam accedere, nisi sanctè; certè quò magis sanctitas, & divinitus celestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non discernens Corpus Domini, 1. Cor. 11. v. 29.

Quarè quæ sit illa reverentia & sanctitas? Haud dubium quin status gratiæ. Hinc erit

### CONCLUSIO I.

Ad dignam susceptionem huius Sacramenti per se requiritur status gratiæ.

**I**Ta contra omnes Lutheranos, aliosque Hæreticos docent omnes Catholici ex Apostolo supra versu 28. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Unde Chrysostomus Homiliâ in Epistolam ad Ephesios: Regem quidem nolles ore tuo serido adsculari: Regem vero cali animæ grave oleuti oscularis? Et Clemens Romanus lib. 7. Apostolicarum Constitutionum cap. 72. in fine: Si quis, ait, sanctus est, accedat, si quis non est, curet ut fiat per Penitentiam. Quæ certè formula paucis verbis mutatis reperitur in plerisque Liturgiis antiquis, in quibus ante Communionem fideles præmonebantur his binis verbis: Sancta sanctis.

Hæc verò non esse dicta, ut respondent Acaholici, ad excludendos Catechumenos, satis dilucidè patet, tum ex verbis Clementis, in quibus illi soli dicuntur non sancti, qui per Penitentiam debebant iustificari; quam propterea ipsis commendat; non autem Baptismum, qui tamen necessarius erat Catechumenis; tum ex eo, quòd Catechumeni multò prius exclusi essent ab Ecclesia, scilicet ante obligationem Sacrificii & Consecrationem.

Alia testimonia Patrum vide supra sect. 7. conclus. 1. Ubi quoque invenies rationem à priori, scilicet institutionem Christi, qui voluit Eucharistiam esse Sacramentum vivorum; adeoque ex primario suo fine non conferte primam gratiam, sed solum ejus augmentum. Dico, ex primario fine; quia secundario aliquando causat primam gratiam, prout etiam cætera Sacramenta vivorum, ut latius deduximus disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 3. concl. 5. Et ideo signanter dixi in Conclusionè, Per se requiritur.

Porro quale sit peccatum indigna sumptio Eucharistiæ, liquet profectò ex dictis disp. 1. sect. 8. conc. 3. esse mortale sacrilegium, Qui enim manducat, & bibit indignè, inquit Apostolus supra v. 29. iudicium sibi manducat & bibit: non discernens Corpus Domini. Quod peccatum aliquibus videtur, per se loquendo, esse gravius omnibus, quæ sunt circa, aut contra puras creaturas, vel in usu aliorum Sacramentorum. Equidem minus est quàm commissum contra divinitatem immediatè, ut idololatria, vel contra humanitatem in seipsa, ut passio Christi, aut etiam quàm projectio Sacramenti canibus ad manducandum, vel in lutum ad conculcandum.

Sed numquid eò gravius peccatur, quò cum pluribus & gravioribus peccatis acceditur? Affirmant communiter, eò quòd tantò longius à gratia & unione cum Christo, quam hoc Sacramentum principaliter in usu significat, recedatur: jam autem potissima ratio malitiæ indignæ sumptionis consistit in eo, quòd reddatur falsa significatio Sacramenti. Non est tamen hæc major gravitas tanta, ut sit explicanda in Confessione, etiam in sententia illorum, qui circumstantias notabiliter aggravantes putant necessariò exprimendas. Consule praxim communem, & ita invenies.

Addunt aliqui ex Palchasio lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 23. quòd nulli periculosius ea contingant, quàm luxuriosi & incestuosi. Quomodo autem hoc sit intelligendum, latè disputat Lugo disp. 14. à n. 9. Res non meretur longiorem discussionem.

Ratio à prius est voluntas Christi.

3- Indigna sumptio Eucharistiæ est peccatum mortale. 1. Cor. 11.

4- eò gravius, quo cum pluribus & gravioribus peccatis acceditur.

4- Periculosius. Lugo.